

to Socrate dicitur, quòd sit homo. Quidquid autem de medio dicitur, etiam de quovis sub medio sumto dici potest, si-ve reverâ sit pars medii, si-ve ut pars sumatur. Sophronisci autem filius sumitur ut pars medii, Socratis. Igitur per consequentiam dicti de omni & nullo de ipso verum est, quod in majore fuit verum de medio. Nec obstat, quòd major sit singularis: quia vi & potentiâ dicti de omni est universalis. Universaliter enim prædicatur major de medio, quando de omnibus partibus (si-ve sint verè, si-ve quasi partes) medii prædicatur. At hîc de omnibus, quæ sub Socrate, ut partes, accipi possunt, prædicatur $\tau\theta$ homo. Igitur prædicatio æquipollet universali.

Cap. 17. Syllogismus purus &
mixtus.

E Materiâ determinatâ syllogismus est primò purus vel mixtus, deinde verus vel apparens.

Syllogismus purus est, qui constat ex meris ter-

Syllogi-
smus pu-
rus.

minis ejusdem artis. Estque vel protonoëmaticus, vel deuteronoëmaticus.

Protonoëmaticus est, qui constat ex meris terminis primarum notionum.

Aliis dicitur *realis*. e. g. Omnis justificatus pacem habet cum Deo. Omnis verus Christianus est justificatus. E. omnis verus Christianus pacem habet cum Deo. Est syllogismus protonoëmaticus purè theologicus.

Syllogismus deuteronoëmaticus est, qui constat ex terminis meris notionum secundarum. *Hic dici potest* merè Logicus, seu merè notionalis.

Exempli gratiâ: Omne argumentum ad thema arguendum est affectum. Omnis definitio est argumentum. Ergò omnis definitio ad thema arguendum est affecta. In hoc syl-